

20.

Feliciter!

QVÆSTIONEM POLITICAM,

An

GERMANIA SUCCURRERE
DEBEAT LOTHARINGIÆ?

brevibus oratiunculis tractandam,

In Illustri Augusteo

ad d. 23. Febr. M DC LXXI.

intimat.

M. CHRISTIANUS Weise

Polit. Eloqv. & Poës. Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,

Literis HILDEBRANDIANIS

Feliciter
QUESTIONEM POLITICAM

GERMANIAE SUCCURRERE
DEBEAT POTERANTIA

Præfatus
In Hunc Modum

ad d. 28. Febr. M. DC. LXXI.

M. CHRISTIANUS
Polie. Plooy & Pögl. Pögl.

FELICITER
LITTE



N de negotiis Principum disputari debeat in scholis? controversia non est exigua, quæ quidem magis inter Aulam & Scholam, quam inter ipsos agitatur eruditos. Neque tamen defuerunt Autores, quorum magnus fuit conatus, ut omnes ejusmodi quæstiones umbratilibus Musis eriperent. *Hottomannus s. 2. de Legation. Vasquius illustr. quest. c. 25.*

Restaurus in tract. de Imperat. q. 110. & alii. Cæterum si eorum ponderemus argumenta exactius, eò tendunt, ut nobiscum sentire videantur. In hoc enim absolvitur omnis objectionum efficacia, ut dicant 1. sacrilegum esse, qui disputet de Principe. 2. Cognitionem istam transcendere captum scholasticum.

Primum quod attinet, ejus probatio profluere etiam videtur è pace *Osnabr. art. 5. §. 17. Utriusq; religionis.* ubi expressè prohibitum est, ne quisquam publicè privatimq; concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo, leges fundamentales dubias faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur. Et consentit *Capitulatio Leopoldi art. 2.* Sed, ut taceam verba legis ad solos non restringi scholasticos, & potius omnes comprehendere subditos; vario sanè modo institui solent disputationes. *Wurmserus Exerc. Jur. Publ. exerc. 1. qv. 2.* aliud esse dicit, disputare de facto Principis, aliud de jure ejusdem: & illud quidem improbari; hoc autem esse licitum. Ea tamen distinctio displicet *Felvingero Instit. Polit. lib. 2. qv. ult.* qui putat majus quicquam esse disputare de Jure quam de facto, & ideò rem ita determinat, posse disputari de Jure & ex Jure publico, sed non contra Jus publicum, nec illum in finem, ut ea vocentur in dubium, sed ut ex illis, ea quæ ab aliis & adversariis vocantur in dubium, aut vocari possunt, confirmen-

Sept. p. 9
dicit Platonem
et Aristotelem
philosophos fuisse
id. est.

firmetur & ad rationes dubitandi ex allatis principiis respondeatur. Siquidem non de Legibus, sed secundum leges judicandum est. Neque etiam si quis textum inspexerit accuratius, alium inveniet Legis sensum; & hoc saltem consequitur, temerè & sine censurâ libros ejusmodi vulgandos non esse. Sicut in Galliâ conditam à Lud. XIII. legem anno 1626. refert Mercure François tom. 12. p. 535. prohiberi subditis (nullâ conditionis, status vel qualitatis admissâ exceptione) scribere, tractare aut disputare, affirmativè vel negativè, positiones concernentes potestatem & summam auctoritatem Majestatis sue, ut & aliorum Regum & Principum superiorem non recognoscentium NB. citra licentiam suam, codicillis & mandatis suis expressam. Vid. Limn. tom. 1. Add. lib. 3. cap. 2. p. 17.

Et verò non ineptè quærit Wurmserus l. c. cur Juris publici præcipua fundamenta typis fuerint publicata? si removeri deberent à privatorum conspectu: cur etiam in Digestorum & Codicis Justiniani libris, Jus publicum antiquum, pariter cum privato fuerit insertum, ac Studiosis commendatum? si omnes sine discrimine disputationes essent prohibitæ. Nec vana est conjectura Limnæi lib. 1. cap. 2. n. 11. Fridericum I. Imp. in Athenis. Habitâ C. ne fil. pro Patre ideo dixisse, scientiâ scholasticâ totum mundum illustrari, quod cognovisset, illustrissimam hanc studii partem ab eruditorum non abesse pulpitis. Inde locum hic invenit maximè ratio Illustris nostri Præsidis not. ad A. B. princ. p. 3. ubi ait, Academias, adde etiam Gymnasia, eum in finem institutas esse, ut exinde in Remp. educerentur Viri Juvenes ad gubernacula apti, & inde injuriosum esse omnino excludere jus publicum cathedrâ.

Alterum quod concernit, Cognitionem istam esse supra captum eorum, qui destituantur experienciâ; exinde profectò nihil aliud concluditur, quàm perfici & consummari non posse in scholis prudentiam, benè tamen inchoari. Et libenter fatetur Bœclerus Notit. Imp. lib. 1. cap. 4. titulo & nomine Juris publici, ejus non exhauriri notitiam, sed optandum esse commercium cum viris talium rerum notitiâ præstantibus in Aulis & Curis.

vis. Interim ille ipse Autor laudatissimus paulo post pag. 9. Historiam & Politicam duas certissimas vocat alas, quibus ad hanc cognitionem subvolandum sit, ac proinde insignem ejus præparationem, ad curam rejecisse videtur scholasticam.

Dabo similitudinem. Amanuensis perfectus non est, qui nunquam viderit Cancellariam, & tamen exinde non sequitur, negligendos esse primos scribendi Magistros: Imò potius verum est, ad Cancellariam pervenire non posse, nisi qui manum exercuerit in scholâ. Ita sine dubio res se habet cum prudentiâ civili, quæ absoluta quidem nullibi est, nisi in luce publicâ, & tamen aliquam in umbrâ præsupponit præcur- sionem, ut ea, si omissa fuerit, vix locus sit experientiæ. Ad- de quod experientia universalis non est, nisi in scholis didice- ris specialia applicare generalioribus, quæ de re pulchra sunt Carpzovii verba in præf. ad Leg. Reg. E. Capitulatione Cesareâ (inquit) unâ horâ quandoq; plus addiscendum, quàm viginti annis vix consequi liceat experientiâ. Confer, quæ de Magistris extra negotia civilia vitam degentibus pulchrè differit Conringius Civil. Prud. cap. 13. p. 289.

Neque animus est prolixam autorum hîc instituere re- censionem, qui nobiscum sentiant, quorum quidem numerus est non exiguus; cum isti omnes testimonium videantur in pro- priâ dixisse causâ, nec ea rationum jam adductarum sit imbe- cillitas, ut testibus passim conquisitis indigeant.

Id tamen objici potest adhuc, quod etiam advertit Wurmser. in dedic. ad Eberh. Duc. Würt. parùm videri cognitionem ejus singulis necessariam, & rarò interrogari de Jure publico. Et sanè si nemo ad ista admittendus esset studia, nisi quem arcana aliquando deposcat Principum Cancellaria, id sequeretur ad minimum, vulganda ea minus esse, & privatis duorum trium- ve auditorum conventiculis includenda: ne supervacaneis in- cumbant rebus reliqui, & seram in fine concipiant pœniten- tiam, didicisse se in spem futuræ oblivionis, quæ non fuerint (itâ proverbium est) de pane lucrando. Interim quis nescit decantatissimam illam Studiorum distinctionem, dirigi quæ-
dam

dam ad utilitatem; alia ad jucunditatem; alia ad splendorem. Ubi quantum momenti positum sit in solo splendore, illi fatentur, qui nunquam ad capeffendam literarum utilitatem pervenissent, nisi externâ quâdam ac pomposâ scientiæ jactantiâ, promotionem exsculpfissent Patronis. Cum itaqve nulla reperiatür scientiâ, quæ cum rerum civilium prudentia de splendore ac dignitate possit contendere, si vel maximè præsentiora in aliis appareant commoda; id saltem negari neqvit, ad invadendam Virorum Illustrium gratiam, captandamqve eruditionis politioris fiduciam, Politicâ nihil esse accommodatius, præsertim si tractetur sobriè, nec deserantur utiliora, quæ ultimum vitæ gerendæ scopum determinant.

Sed & tacitus quispiam pudor est, nescire ea Studiosum, quæ sublimi sæpè supercilio jactari solent ab ineruditis. Nam quid hoc in negotio præstent Mercatores, novellarum illi, atqve adeò historiæ recentioris strenui custodes, nemo dubitat, nisi cui ignotæ sunt eorum conversationes. An igitur pulchrum est aut tolerandum, iis prolixè loquentibus, quasi mutum piscem assidere literatum? aut Studiosum ab eorum pendere linguâ, quorum aures implet rectius? aut ancillam Hollandicam melius de actionibus judicare publicis, quam magnus alibi Magister? Hæc nimirum causa est, contemptarum hinc inde literarum, quod eorum cultores, umbratiliū saltem Musarum pedissequos, ac omni lucis usurâ expertes aut indignos judicare soleant.

Quamobrem ignoscant mihi, quicumqve secus sentiunt, manuduci à me ad negotiorum publicorum contemplationem, commissos mihi Auditores, atqve id unâ intendi operâ, ne taceant in Cathedrâ, nec muti sint in conversatione. Sic enim rationes jubent, conscientia præcipit, incredibilis in discipulis amor postulat; & fuerit aliquando tempus, ubi clarius liceat judicare, num ego abusus sim informandi licentia, illi diligentia?

Ipsa verò quæstio, in cujus gratiam tali usus sum præscriptione, **LOTHARINGIAM** concernit, an consultum sit,

fit, provinciam istam Gallicis armis subactam, sublevari Germanorum suppetiis? Sanè difficilem scribendi materiam hîc inveniunt Politici, cùm Lotharingus, quasi Amphibium aliquod, jam absolutus audiat Dominus; jam vel Imperii vel Galliae vasallus *vid. Limn. lib. 5. cap. 11. cum Addit. Reinking. Reg. Sec. Imp. Rom. lib. 1. cl. 2. cap. 9. n. 107 seqq. & accedant variae inter Regem Galliae ac Ducem transactiones, quæ quantæ sint, vel ex sola Pace Pyrenæa ab artic. 62. usq; ad 79. perspicui potest.*

Interim de Justitia vel iniquitate universi negotii libitum non est dicere. Reliquimus censuram odio plenissimam aliis; sive ille sit, qui *Larvam Francicam* aut detraxisse aut detractam publicasse putat, qui tamen æquè videtur imprudens, quod & consilia publicare prohibeat, & nihilominus ipse plura publicet. Sive etiam sit Veridicus ille Gallicus, qui, an commodè referat, in Recess. Imp. 1544. Gallos æquiparatos fuisse Turcis, meum non est judicare, qui nescio, quantum habeat vim, *Pax Monast. 5. sit utriusq; perpetua. sive sint alii, quorum scripta parum movent Principes, alliciunt curiosos, locupletant Bibliopolas.*

Nunc brevem tractationis exhibeo tabulam.
Prodibit primo loco

DN. CHRISTIANUS FRIDERICUS
Stromer / Weissenfels. Misnicus.

Is paululum præfatus de utilitate ac dignitate quæstionum politicarum, à suis quæret Commilitonibus, *An Germani auxilium ferre debeant Duci Lotharingie adversus Gallum?* Assurget deinde

DN. GALLUS COSWIGIUS, Fin-
stervaldâ-Lusatius.

Qui sententiam tuebitur Affirmativam, esse succur-
ren-

rendum socio, imò Imperii membro 2. non esse negli-
gendum Germaniæ propugnaculum 3. In æquali esse
periculo reliquos Principes, si istud toleretur exem-
plum. Sed opponet se

D N. ABRAHAMUS NAUKIUS
Finstervaldâ-Lusatus.

Huic potius arridebit negativa 1. Lotharingiam Im-
perio penitus non esse conjunctam, & imprimis du-
biam esse belli Justitiam 2. Lotharingiam hæctenus
semper fuisse turbidam. 3. Temerè non esse concul-
candam pacem 4. Neque nostras sufficere vires, qui
agitemur timore belli Turcici 5. Imò timere non posse
Principes reliquos id exemplum, cum talia Rex præ-
stare & nolit & non possit.

Agmen claudet notus jam è persona Prologi.
Is mediam amplexurus sententiam svadebit, nec irri-
randum esse Gallum, nec deserendum omninò Prin-
cipem. Possè enim 1. Autoritate Imperatoris com-
poni dissidium. Esse 2. in vicinia Helvetos, qui ini-
quis aspiciant oculis fortunas Regias; quos excitari
sit consultissimum. Concludet verò cum precibus ad
Deum Pacis Autorem & Conservatorem.

Quod si quospiam vel materiæ alliciat dignitas,
vel perorantium favor, vel denique laudabilis in ejus-
modi studia propensio, velint haud gravatim vel uni-
cam horulam, aliis subtractam occupationibus, in no-
stro consumere Auditorio, nec dubitare, fore nos ne-
que ingratos neque inimemores, si reciproca compla-
cendi aut inserviendi se obtulerit occasio. P. P. d. 21,
Febr. M DC LXXI.